



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Item de ędificatione domus eiusdem, quid mysterij habeat dictum illud,
domuscum ædificaret[ur], lapidibus dedolatis atq[ue] p[er]fectis ædificata
est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

exitu uitæ huius perficitur. ¶ Quomodo ibi perficitur? Astando ante tribunal Christi, & parata ibi statera, quam beatus Iob suis temporibus nondum paratam suspirans, dicebat. Utinam appendenterentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris haec grauior appareret. Statera ista tunc parata est, quando misericordia & veritate (ut iam dictum est) obuiantibus sibi, immortalis deus mortalis homo factus est. Cum ergo uenitur ad examen statera huius, dum statur ante tribunal iudicij huius, ibi sunt due lances, altera misericordiae, altera iudicij: & tamen duo sunt (ut iam diximus) scilicet, homo qui peccauit, & habitans per fidem in corde eius Christus qui non peccauit, appenduntur peccata unius tantum in statera iudicij, appenditur calamitas duorum in statera misericordiae, scilicet & calamitas mortis eius, qui peccauit. Verbi gratia, Iob aut alterius uiri fidelis, et calamitas mortis eius qui non peccauit, scilicet Iesu Christi. Nonne itaque calamitas in lance misericordiae grauior appareret, q[uod] peccata in lance iudicij? Plane grauior quasi arena maris, utpote duplum contra simulum: quia cum sumus duo, & unus tantum peccauerit, ambo soluimus debitum mortis. Quid igitur? Profecto, sicut scriptum est, & nos iam meminimus, si quispiam præualuerit contra unum, duo resistunt ei, id est, si principis mundi huius contra steterit ut accuset animam egredientem a Christo, habitatem in se, defensione petit. Apprehende (inquietus) arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Psal. 54.

¶ Item de ædificatione domus eiusdem, quid mysterij habeat dictum illud,
domus cum edificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis edifi-
cata est.

Caput .VIII.

 Ediam propositum de domo tua domine, de corpore tuo Christe, quo posuimus ordine sermonis, persoluamus. Proposuimus namq[ue] sermone fidei concelebrare tria haec, ædificationem, exhortationem, atq[ue] dedicationem domus huius: in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Iam ergo de exhortatione dicendum esset, nisi quod adhuc in ædificatione capitulo nos illud tenet, domus cum edificaretur, lapidibus dolatis atq[ue] perfectis edificata est: Huius namq[ue] capituli mysterium, intactum animus præterire non patitur. ¶ Quid ergo est, huiusmodi domum edificatam esse lapidibus dedolatis atq[ue] perfectis, nisi mediorem dei & hominum, hominem Christum Iesum, conceptum esse ex utero, sive concretum in utero virginis, secundum fidem sermonemq[ue] fidelem Patriarcharum atq[ue] Prophetarum, qui utique fuerunt uel sunt lapides magni, lapides perfecti. Huic etenim unus illorum Esaias gratulatur & dicit. Et adhibui mihi testes fideles, Viriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachum. Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et dixit dominus ad me: Voca nomen eius, accelerata, spolia detrahe, festina prædarri. Plane hic unus dixit, ceteris quoq[ue] omnibus sanctis Prophetis, quorum per os spiritus sanctus locutus est a seculo, dixisse uel dicere congruit. Omnes enim ad illam prophetissam accesserunt, omnium fides, omnium prophetiae in illam beatam virginem conuenerunt: & ipsa scivit, quid ageretur secum secundum ueritatem scripturarum. ¶ Domus igitur edificata est lapidibus dedolatis atq[ue] perfectis, id est, incarnationis dominica, secundum fidem & expositionem sanctorum, & secundum scripturas prophetarum, & uerum ex omnibus habet testimonioum sancta domus tua domine, iuxta illud præconium magni Prophetæ: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo domine in longitudine dierum. Quam bene autem lapides isti perfecti dicuntur etiam dedolati. Quis enim illorum uiam uitæ huius pertransiuit absq[ue] delatura tribulationis? Deniq[ue] plerique illorum fuere dolati usque ad intermissionem sui corporis. Hinc ipse deus dicit in Osee: Propter hoc dolauit in prophetis, occidi eos in uerbis oris mei. Et in Actibus Apostolorum, protomartyr Stephanus ait: Dura ceruice & incircumcisæ cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restititis, sicut patres uestris & uos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestris? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti.

¶ Be exhortatione eiusdem domus, quali aur'o exornata sit, descendente ad illam super dominum spiritu sancto in specie columbe, cum baptizaretur a Johanne.

Caput .IX.

K = Aedif

Statera iudicij in exitu huius uitæ Iob, &

Ephe. 5.

Ecclastes. 4.

Coloff. 2.

3. Reg. 6.
Lapides dolati atq[ue] perfecti sunt Patriarchæ atq[ue] Prophætæ.
Esa. 8.

Domus ædificata lapidibus dolatis atq[ue] perfectis.
Psal. 92.

Osee. 6.
Actu. 7.